DISSERTATIO MEDICA /4

INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE TONSILLARI.

AUCTORE FRANCISCO CORBAN.

Quoniam instituta hujus inclytae Academiae non sine sapienti consilio postulant, singulos, antequam summos in medicinâ honores capessant, specimen diligentiae suae aliquod in lucem proferre; idcirco his decretis aequo animo accedo: sed multos in mente mea agitans morbos qui genus humanum per vitae decursum infestant, tandem res plurimae me inducunt ut de Cynanche hoc tempore tractem; non spe aliquid novi, de re adeo trita proferendi adductus; sed hunc morbum saepe mihi accidit videre, et praesertim, quia ea res magnum dolorem, et incommo-

dum, non semel mihimet attulit. Nosologi species quinque diversas Cynanches memorant, et pro varietate sedis morbi nomina varia singulis propria imposuerunt; et quamvis historiam rationemque medendi omnium disserere velim; tamen tempus et limites hujus operis me omninò vetant, aliis et gravibus negotiis implicatum. Quamobrem de harum una in hac dissertatione perpauca dicere consilium est. Graeci nominibus variis, scilicet, Cynanche, Synanche, et Paracynanche, &c. partibus affectis originem habentibus, ad hunc morbum distinguendum, uti solebant. Omissis tamen disputationibus, de nomine quod huic morbo imponi debet, hic dicere satis est, Cullenum celeberrimum, generi sequentem definitionem protulisse: "Pyrexia aliquando typhodes; rubor et dolor faucium, deglutitio et spiratio difficiles, cum angustiae in faucibus sensu." Sed quamvis maxima laus illi viro insigni merito debeatur, ob accuratissimum conspectum atque mirandum ordinem morborum; tamen hunc non adeo felicem in hac quam in plurimis descriptionibus aliis, ut credam adducor; nam in plerisque Cynanche Tonsillaris

exemplis, spirandi difficultas abest, et in Cynanche Maligna ferè nunquàm videtur; et species Parotidea dicta, sedem extra fauces omnino tenens, me judice, in ea definitione non includi potest; contrà Laryngitem, qui locum in Nosologiâ verò meretur, "malum quo non aliud velocius ullum" aut exitiale; et a quo res publica, nonnulla summa decora nuper amisit, in silentio praeterivit. Praeclaro Doctori Duncan, juniori, videtur, * varias species paucis sequentibus verbis posse melius complecti: "inflammatio eam partem faucium afficiens, per quam aër in respiratione transit." His igitur praepositis, nunc ad rem ipsam, cui animum in paginis sequentibus attenturus sum, progrediar, ne fines necessariè praescriptas transeam. Cullenus, Cynanche Tonsillari inter classem Pyrexiarum et ordinem Phlegmasiarum collocata, sic definit: "Morbus membranam faucium mucosam, praecipuè tonsillas, tumore et rubore afficiens, cum febre synochâ." Prima hujus morbi incipientis indicia sunt, dolor et tumor partes musculosas glandulasque praesertim

---

* Audi Praelect. Clin.

occupans, ad uvulam velum pendulum palati extendens, simul cum rigore et frigoris sensu sese ostendens; deglutitione dolorifica, et non sine labore peracta, propter tonsillarum magnitudinem, una vel utraque quarum magnoperè adaucta sunt; aeger nunc male conqueritur, simulatque calor, aliaque pyrexiae signa, cum gutturis asperitate, adsunt; pulsus plerumque frequens, durus, et validus; et si os aegri aperiamus, et fauces, linguâ cum spatula depressâ inspicimus; tonsillae et partes vicinae, tumidae, rubrae, angustatae, et inflammatae, quantum videri potest, praeter solitum apparent; atque magnâ materiae viscidae copiâ assidue et non sine difficultate excretae, oblinitae; uvula quasi prolata videtur, nam ad marginem oris ferè ante oculos versatur; lingua tumida imprimis albida, postea colorem fuscum induens, et in nonnullis exemplis extra dentes et labia prominens; saliva ubertim effunditur viscida: maculae albae passim super tonsillas sparsae aliquando in conspectum veniunt; vox rauca, dolor in partibus affectis lancinans; deglutitio, praecipuè salivae, parùm difficilior fit, nam inflammatio aditum ad pharyngem adeo

coarctat, ut nihil nisi in parva magnitudine et molle exsorberi potest: forsan notatu dignum, rebus sic habentibus, solida facilius quam fluida aegrum devorandi potestatem habere; inflammatione praesertim graviter ardente; in casibus nonnullis una tonsillarum per aliquot dies morbo solum afficitur, deinde metastici quasi facta, subitò ad alteram transit; aliis autem neque perpaucis ambae simul afficiuntur, et sese adeo propinquant, ut suffocatione miserum minitari videantur. Haec Cynanchae species nunquam contagiosa, sed haud raro, in quibusdam tempestatibus, formâ epidemici grassatur. Morbo progrediente, omnia in pejus symptomata ruunt: difficultas deglutiendi et forsan respirandi, constrictionis faucium sensus, magis magisque aegrotantem turbat, dolor totam noctem, et somnum saepe in fugam conjiciens adest. His omnibus malis simul prementibus, aeger ore aperto in cubiculo sedet erectus, capite et humeris elatis, et si aliquid bibere nitatur, aut per nares subitò ejicitur, ob motum pharyngis convulsivum, ejus irritatione excitatum, aut in laryngem injicitur, subitam minitans mortem. Inflammatio per Eus-

tacheanam tubam serpens, surditatem interdum levem gignit : haec adeo molesta affectio, anginam malignam aliquando excipiens, per totum vitae decursum remanet. Sed in hominibus strumâ imbutis, hoc praecipuè accidit. Secretio salivae augetur, et inter somnum, si somnus sit, ab angulis oris stillat. Nunc Pyrexia magis urgens ictus arteriarum pleniores et validiores fiunt. Noster Cl. Gregory casum insignem memorat, in quo pulsus usque ad centum et quadraginta numerari potuit, sed aliter signa non periculosa fuerunt : capitis dolor, oculi suffusi et turgidi, cum totius faciei rubore apparent, et sitis cui vix indulgere potest aegrum maxime turbat. Delirium et coma, rivo sanguinis venosi, capite impedito, ob partium tumidarum pressuram, interdum superveniunt. * Ex summa auctoritate quoque habemus, homines hoc morbo laborantes, interdum e vita tolli, propter inediam, tumefactione adeo gravi ut transitum alicujus ventriculo impediat. Auctor praeclarus idem casum memoriae prodidit, in quo nonnulli sensus externi compressione

---

* Vide Wilson on Febrile Diseases.

cerebri imminuti sunt; sed hoc rarissimè evenit: periculum quod in hac anginae specie maxime timendum est, ne inflammatio ambas simul tonsillas ita afficiens ut nec ab ore in pulmones aditum praebeat unde suffocatio oriri potest, nec a palato in ventriculum, inediam minitans, sinet. Sed Quarin in opere de febribus, sequentia verba habet: "Funestissima est angina quae nec in faucibus nec in cervice quicquam conspicuum exhibet." Antequam hanc partem rei conficimus operae pretium est memorare, inflammationem Cynanche Tonsillarem comitantem, usque ad tracheam haud rarò serpentem, Cynanche Trachealem, Croup dictam, interdum producere, et, morbo progrediente, quùm maxima difficultas spirandi supervenit, summa curâ nos uti decet, ne morbus, de quo sermo est, in hoc malum transiret.

CAUSAE REMOTAE.

Hae haud malè dividuntur in *praedisponentes*, vel quae homines ad morbi ingressum proclives reddunt; et *excitantes*, vel quae

morbum ipsum producunt. De prioribus in hoc loco perpauca dicere consilium, deinde ad alias proprio ordine progrediemur. Tempestas anni, praecipue finem versus autumni vel veris, inter praedisponentes locum habere conspicuum me judice meretur, propter mutationem a calore ad frigus subitam, quae hoc tempore saepe accidit. Regiones frigidas et septentrioni appropinquantes magis quam terram australem infestat; nam in tali regione, transitus et temperiei varietates saepius observantur, ut noster praeclarus professor in erudito et eleganti ejus opere mentionem facit; * sed propriis verbis mihi licet uti: " Quod coelum ipsum, sub quo degunt homines, nonnunquam aegros facit, unicuique enim regioni, suum inest vitium, sive calidior justo sive frigidior fuerit, sive varia, multisque et subitis tempestatis mutationibus obnoxia." Mares potius quam feminas hic morbus plerumque aggreditur: ob hanc rationem, quod causis excitantibus postea memorandis magis objecti sunt. Juvenes hominesque robustos et saepe rufos temperamento

---

* Vide Gregory's Consp. Med. Therapeut.

sanguineo praeditos, prae ceteris aggredi videtur; sed nulla aetas, vel corporis habitus, omninò immunis existit; accessus morbi ejusdem priores, propter vasorum sanguinis faucium debilitatem, quae inflammatione anteà affectae, proclivitatem reditui hujus mali praebent. Omnes qui musculos faucium per longum tempus, expiratione nimis vehemente frequenter exercent, Cynanchae Tonsillari magis obnoxii videntur: sicuti praecones, cantatores, tubicines; his quoque addetur, qui liquores spirituosos et diaetam lautam extra modum sibi saepe indulgent.

CAUSAE EXCITANTES.

Viri fere omnes, artem medicinae facientes, hac re consentiunt; frigus praecipue humore onustum et corpori sudanti admotum, generi humano morbos haud paucos afferre; inter quos Cynanche Tonsillaris insigne praebet exemplum. Sed ut multum pendet, de quibusdam corporis conditionibus frigori objecti, hunc statum peculiarem, quam brevissime exponere operam dabo. Corpore calente,

et maxime sudore madido, si aëris frigidi aura in partem ejus quandam solam dirigatur, pars illa, et saepe per consensum, alterae vicinae magis afficiuntur, quàm si totum corpus ei frigori expositum esset. Sic, si post exercitationem nimiam, cameris, vel aliis locis calidis, currendo, vel cursum ad numeros movendo, aeger collum vestis denudans solitae, in aëra frigidissimum praecipue gelu praestante, transeat, malum subito excitatur: hinc quoque hominem in cubiculo calido quiescentem, adeo graviter afficit aër externus frigidior, per rimam fenestrae, vel ostii in unam tantum corporis partem, irruens: cum idem homo in aëra illum frigidiorem, sine ullo incommodo, forsan exire potuit, nam solitam excretionem hoc modo per cutem reprimit, et auctam muci secretionem ad fauces et tonsillas derivat. Exempla haud rara habemus, qua potus frigidi, corpore aestuante, et equitatio vehemens ventum contra septentrionalem et aridum, hunc morbum attulerunt. Inter has causas solitae evacuationis suppressio et spicula ossis acuta tonsillas vi mechanica irritans enumerantur. Sed omnium rerum quae hunc morbum excitant,

nullae citius, et ob hanc rationem magis metuendae, effectum producunt quàm acida, et alkalina caustica, errore infelici, vel consilio in os sumpta; nam exedendi vi praedita, aut partem in toto abolent, vel inflammationem adeo subitam inducunt, ut vita aegri suffocatione in periculo versetur. Doctorem Boyton, cujus praelectionibus olim Eblanae adfui, casum hujusmodi, ad quem erat vocatus, narrantem, in memoriâ teneo; et quoniam hanc rem perspicuam reddit, et sectione tracheae nonnullis exemplis opus esse docet, narratione mihi dignum videtur, quoniam leges academicae non prohibent.*

---

* J. B. aet. 25, labourer, of stout plethoric habit, and sanguine temperament, was induced to take a glass of fluid which lay on the counter of an ale-house to which he frequently went for whisky. In the act of swallowing it, he perceived that it was sulphuric acid; but not before a small portion had passed into the pharynx: violent inflammation immediately setting in, Dr Boyton was sent for, and (to use his own words) he could actually see the tonsils enlarging, so rapid was its progress, all measures to put down the inflammation proving ineffectual. The man was threatened with instant suffocation; his face became livid; the eyes protruding from their sock-

TERMINATIONES.

Fines aliis phlegmasiis communes Cynanche Tonsillaris dicitur habere, viz. Resolutionem et Suppurationem, sed scirrhus vel gangraena, quamvis inter terminationes enumerantur, rarissimè apparent. Per Resolutionem intelligimus, cùm inflammatio subsidet, et partes in quibus sita est, integras omnino relinquit, et hanc finem prae ceteris exoptandam et summa curâ promovendam. Adesse futuram sequentia signa indicant, febris leviter urgens, respiratio facilè peracta,

---

ets; and his extremities cold. Dr Boyton proposed the operation of bronchotomy, to two surgeons who were present; but they were decidedly against it, refusing to have any share in the responsibility, if it were performed. However, the man's distress became so urgent, that unless immediate relief was procured, and by the operation, all hopes of saving him would be lost. The operation was performed, and with the most marked and speedy success. The respiration was restored, the inflammation of the throat in a short time put down, and the man had a most complete recovery.

iter ad ventriculum non impeditum, inflammatio altè rubra et sine maculis, partes tegentibus, secretio urinae, vel sudoris eruptio, sua sponte aucta, vel remediis idoneis effecta, saliva quinque, vel sex diebus elapsis copiosa, et ab ore manans, cum alvi solutione levi: haec omnia dico felicem terminationem indicant.

Suppuratio.—Si inflammatio remediis nihilominus idoneis adhibitis, sine ullis diminutionis signis assidue perstet, circiter quintam vel sextam diem, haec terminatio jure expectanda est. Sed hanc reverà accidisse ad symptomata nunc enumeranda, attentio nos certiores faciet: partes affectae cum signorum Pyrexiae diminutione pallidiores fiunt. Aeger rigore levi et partium sensu pulsatili nunc corripitur: sed sine gravi dolore qui illum priore stadio turbavit. Ictus arteriarum fit plenior et mollior, et pure nunc formato. Materia aut in abscessu simplici vel cellulis plurimis sedem habet. Suppuratio in inferiore parte tonsillarum interdum accidit, et deinde tumore dirupto: humor in ventriculum transiens vomitum aut nauseam movet. Sed in os saepius immissa purulenta

et aliquando sanguine tincta, quamvis saporem admodùm ingratam efficit, tamen exitum felicem edicit. Hac evacuatione effecta, symptomata de quibus anteà vix sperare licuit nunc ad valetudinem subitò spectant, et aeger, qui in summo periculo sese forsitan putavit, nunc sine difficultate spirandi, et quidquid vult sorbendi, vim se habere sentit. Sed hanc adeo faustam terminationem semper eventuram nobismetipsis persuadere non possumus; nam interdum in gangraenâ desinit, sed feliciter non saepe evenit. Nostro praecl. Gregory talem exitum nunquam videre accidit: tamen ut memoriae proditum, exempla ejus non deesse, paucis quam brevissimis verbis in hoc loco mihi dignum videtur. Gangraenam esse supervenientem judicamus, si post vehementiam doloris insolitam et alia prius dicta symptomata, aeger quietus, et ferè sine molestiâ jaciat, faucibus nunc inspectis, partes quae paulo antea ruberrimae, humidae, et turgidae, sese in conspectum ferebant, nunc colorem rubrum amittere, et subnigrum vel fuscum siccum et inequalem induere aspectum incipiunt. Pulsui anteà pleno aut valido nunc parvus, debilis et in-

equalis succedit. Si his addantur, deglutitio maximè dolorifica, pedes sudore gelido obtecti, odor spiritus penè intolerabilis, et interdum tendinum subsultus, aegrum in mortis articulo adesse nihil dubitandum. Sed haec signa adeo periculosa ad Anginam malignam aptiùs pertinent.

DIAGNOSIS.

Omnium medicinam facientium, me judice, animos summa curâ ad studium Diagnosis conferre refert; nam medicus qui signis probe peritus in quibus morbi maximam inter se similitudinem habentes discrepant, vel ullo modo consentiunt, medendi rationem intrepidè admovet, summa cum laude sibi, et magno ejus aegri forsàn commodo, et si studiis aut spe frustratis aeger ad sanitatem non redeat, hoc saltem solatium habebit, ea quae fieri debent, per inscientiam esse haud omninò omissa. Nunc ad alteram partem spectamus: si morbum illi objectum omninò nesciat quomodo ab aliis differat, vel de casus naturâ in sententiâ ejus fluctuat, ludibrio

amicis aegri circa lectum astantibus semper erit, et vitam adeo caram ejus cùrae subjectam, aut in summum descrimen adducet, aut hominem, illo nimis fretum, vivis subito abrepet. His ritè pensitatis satis constat, quanti interest ut medici in hac parte disciplinae fieri periti. Inter morbos quibuscum aliquid Cynanche Tonsillari sit similitudinis, quatenus sciam, Cynanche Malignam, Trachealem, et Luem Veneream, sedem in amygdalis tenentem recenserem. De his perpauca disseram. Cynanche Tonsillaris ab tracheali, me judice, facilè distingui potest; propter inspirationem stridulam, vocem admodum raucam, tumorem ferè nullum in faucibus apparentem, et, prae omnibus, tussim peculiariter huic morbo clangosam, quae in Cynanche Tonsillari nunquam molestat. Morbus de quo agimus a Cynanche Maligna signis sequentibus est plerumquè dignoscendus: haec robustos, aetate virides, valetudine et sanguine florentes, rufos, ut Sydenhamus memorat, praecipuè infestare solet: illa, altera parte, debiles, infirmos, tenerosque pueros, feminas potius quam mares, et ex aliis morbis revalescentes, adoriri consuescit: una frigori

altera contagioni originem debet. Cynanche Tonsillarem pulsus plenus, durus et validus, cum febre synochâ comitatur, et sanguis, si haemorrhagiis vel vaenâ secta comparetur, superficiem albam coriaciam ostendit: sed malignam, febris typhoida cum summa virium prostratione, pulsu parvo et debili nonnullis etiam exemplis irregulari comitatur; et sanguis, si missus fuerit, laxus et quasi solutus conspicitur. Epistaxis et diarrhoea, ut antea dixi, finem saepe faustam tonsillaris indicantes; in maligna periculum, si non mortem in propinquo denunciant: nulla cutis eruptio in una ipsam ostendit quae in corporis quâdam parte ferè semper in altera apparet. Ab Lue Venerea distinguitur, ex eo quod ulcera in superficie tonsillarum nunquam formantur, et quamvis inflammatio in suppurationem saepe abiit, et abscessus conficit, tamen veri ulceris venerei aspectum, cum margine duro elevato, et ima parte sordida, vix unquam induit; hisque addentur historia aegri prior et morbus absque febre et pede tardo progrediens et substantiam amygdalarum subito erodens. Ratio est nulla cur in errorem incidere possimus.

PROGNOSIS.

Prognosis, quod ad vitam attinet, in hoc morbo fausta et propitia ferè semper habenda est; praecipue si remedia affectioni idonea ipso temporis articulo adhibeantur; et si in corpore prius sano, nullo alio morbo comitante accedit. Sed nos scire oportet, exempla non deesse, quorum exitus in dubio fuerunt; quamobrem prognosin cautè dicendam mihi videtur; sed ut symptomata, quae faustam, vel infelicem finem denunciant, sub capitulo de terminatione, antea memorato, dare sumus conati: ad hanc partem remittere lectorem benignum rogamus, quia nihil in hoc loco opus iteratione putamus, sed tempore me monente, ad morbi medelam, nunc progrediar.

RATIO MEDENDI.

In curatione hujus morbi tractanda, consilia sunt, febrem mitigare et resolutionem,

si fieri potest, inducere; si non, signa molesta submovere. Sed in diversis stadiis, diversis remediis saepe nobis utendum. Imprimis, regimen antiphlogisticum, frigore solùm excepto, adhibendum; nam inter causas excitantes, id jure memoratur; igitur pro remedio, nullo modo habendum; simul atque aegrum in domo vel lecto continere, et omnem praecipue vocis exercitationem vitare necesse est. Morbo incipiente, signisque febris adhuc mitè urgentibus, emetica tempestivè adhibita, maxime prosunt, quia halitum cutis restituere adjuvant, cujus suppressionem, in parte operis priore, insignem esse causam morbi memoravimus. Manè post emesin, si aeger facile sorbeat, sub-muriatem hydrargyri, scammonia vel jalapa conjunctam, sumat, et horis quatuor vel quinque postea, solutionem salis medii, sicuti, sulphatem magnesiae cum infuso sennae admistam, actionem pulveris maturare, et plenam alvi solutionem efficere. His cum pedeluvio tepido omni nocte, et fasciâ lanea circa fauces externas, linimento ammoniae, &c. prius illinitas, morbus saepè in principio cedet: sed quibusdam diebus elapsis, antequam medicus

aegrum vidit, remediis omnino neglectis, aut nullo commodo adhibitis; et si inflammatio et alia signa maxime urgent, ad sanguinis detractionem prout res postulare videatur, repetendam; octo vel septem hirudinibus vel e vaenâ brachii sine morâ confugere oportet; sed si propter deglutiendi dolorem, cum solida tum liquida aeger per aliquot dies recuset, debilitas talem abstinentiam naturaliter excipiens, causa esse idonea videtur cur venaesectionem generalem repetere timemus. Rebus sic se habentibus, quidam venas raninas incidere, vel superficiem tonsillarum ipsarum leviter distringere suadent: illud ineptum esse remedium Culleno semper visum est; sed hoc a professore cel. Home * multum et meritò laudatur. Epispastica et rubifacientia gutturi admota, auxilium insigne praebent; in nonnullis et haud paucis exemplis, cursum sistendi morbi profectò vim habere videntur; sed partem hirudinibus morsam ab lyttae acrimoniâ unguento simplici defendere necesse est, ne stranguria et omnia ejus incommoda aegrum molestent. Forsan hic notatu dignum,

---

* Audi Praelect. Clinicas.

vesicatorium amplum et acre maximè anteponendum, nam si praeter modum diutius retinetur, praecipuè in pueris, actione solita haud celeriter concitata, procul dubiò noxium erit, partis jam inflammatae irritationem augendo, et ob eam rem, rivum sanguinis majorem ei quasi invitando, os et fauces astringenti gargarismâ leni aegrum saepe in dies detergere, haud parvi interest, et aquae tepidae vapores inhalare, per instrumentum a Mudge inventum, per totum morbi decursum valdè adjuvat.

Enema domesticum horâ somni haud sine fructu injiciendum, praesertim si non sine maximo dolore purgantia absorberi possint. Sed inflammatio adhuc perstans post sex aut septem dies, aut cum dolore pulsatili, sed in minore gradu urgenti signis remissionis non apparentibus, suppurationem adesse nunc suspicare licet. Spe resolutionis omni frustrata, et medicamentis jamjam praescriptis nunc abjectis, ad cataplasmata calida iterum iterumque repetita, cum vapore aquae calidae aceto admistae, extemplò confugiendum.

Haec adjuvare et suppurationem celeriter promovere, gargarismate decocto hordei aliis-

que hujusmodi compositis, ad fauces retentis, sine ulla agitatione, ut vulgò praescriptum, saepe in dies uti oportet. Pure nunc formato, si abscessus non sua sponte dirumpantur, scalpello eos aperire, sed cautè necesse est: post operationem symptomata brevi subsident, et gargarismata paucos dies admota, curationem plerumque conficient.

Si signa quae antea diximus gangraenae accessum indicant, morbo vini et cinchonae usu interno libere exhibito, etiam cum stimulis parti admotis, veluti capsici annui infuso vel tinctura, acido muriatico et aliis, promptè occurrere opus est. Diaetam per totum morbi decursum tenuem esse, ex hordei vel avenae decoctis, cum fructibus maturis et subacidis, maximè constare decet. Quid multa? convalescentem in memoriâ tenere oportet, Cynanche Tonsillarem admodùm reditui proclivem, et a laxitate vasorum, propter priorem accessum, haud raro originem ducere. Itaque causas remotas, et prae omnibus frigus, illum evitare refert.

Excudebat C. STEWART.